



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 15. An peccari possit in somno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42521

n. 217., non autem activam ad rationem peccati
 requisitam, nam *S. Th. a. 4. ad 1.* expressè dicitur
 etiam in sensualitate posse esse mortale, adeoque
 & libertatem perfectam, quando nempe actus
 sensualitatis attribuitur rationi seu voluntati
 ergo neutro loco intelligit appetitui sensualitati
 convenire libertatem activam. Quando autem
 idem *S. Th. a. 2. ad 3.* dicit in potentiis externis
 non inveniri peccata, putat *Averf. l. 5.* tantum vo-
 le, quòd actus potentiarum externarum, quando
 sunt peccata, nunquam attribuantur potentiis
 externis, sed soli voluntati, sine qua applicanti
 nihil malum aguat potentia externæ, cum
 contra internæ seipsas agant prius, quàm à volun-
 tate applicentur, & in hoc videtur ponere diffi-
 rentiam, cur in potentiis internis dicatur esse
 peccatum, non autem in externis.

165. Q. 15. *An peccari possit in somno.* R. Certum videtur
 detur, quòd tam intellectus quàm voluntas in
 somno agant, cum omnia ad agendum requisita
 habeant, non aliter ac in infantibus, stultis, fu-
 riosis, ebriis, quos nemo dicit per solam phan-
 tasiam & appetitum sensitivum operari: De in-
 tellectu quidem probat experientia, quia, quid
 quid contradicat *Ant. Perez de vitiis d. 2. c. 6.*
 in somno componuntur novi versus, formantur
 tur boni discursus, fiunt actus comparativi
 nius objecti cum altero, item perfectè reflexivi
 super hoc ipso, v. g., quòd quis non dormiat
 quòd nunc cogitet hoc vel illud: Similiter vo-
 luntas fertur in objecta merè spiritualia, quae
 solo intellectu proponi possunt & à sola volun-
 tate appeti; deinde cognoscitur etiam bonitas
 malitia moralis, non tantum in communi, in

vult Palav., sed etiam in particulari, ideoque etiam voluntas in hanc aut illam sæpe fertur amando vel fugiendo, uti eadem experientia probat, atque ex hoc colligunt ascetæ aliquem multum profecisse in victoria alicujus vitii, si etiam in somno ejus turpitudinem aversetur. His tamen non obstantibus dicendum est cum communi, nullo modo peccari in somno; Ratio est, quia ob vim phantasie, quæ ligatis sensibus maximè dominatur, deest dormientibus ex parte intellectus, consultatio in utramque partem, prærequisita ad libertatem, imò & judicium aliquod certum, quia ratio tum nimium fluctuat, nec sat firmè consistere potest in aliquo objecto dijudicando; & hoc est, quod dicit S. Aug., quem citat S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., ubi ad 2. ait, *Secundum quod vires sensitivæ magis vel minus opprimuntur à somno propter vaporis turbulentiam vel puritatem, secundum hoc usus rationis magis vel minus impeditur in dormiendo, semper tamen, quantum ad aliquid, impeditur, ut non possit omnino liberè judicium habere.* Ex parte voluntatis autem, ob vehementiam appetitus sensitivi, qui tum potentissimè trahit, deest expedita facultas hoc vel illud præeligendi. Et utrumque colligimus à posteriori, nam post somnum, imprimis advertimus intellectum plerumque in discursibus suis ex aliqua parte errasse, ergo signum est, si aliquando non erret, id potiùs casu fieri, quàm ex potentia firma sic rectè operandi: & sic quoque fit in infantibus, stultis, furiosis, ebriis, qui aliquando prudenter loquuntur, quos tamen nemo dicit in tali statu sufficienter dijudicare posse bonum à malo: deinde experimur nos vigiles nunquam sole-

re in talia consentire, hinc illa statim post
 mnum detestamur, ergo signum est non adesse
 somno libertatem requisitam ad ageandum hu
 mano modo, idque probat etiam consensus
 omnium hominum, qui aliquid in somno factum
 non imputant ad culpam vel pœnam, meritum
 vel demeritum, nisi fortè propter causam an
 positam. Quòd si aliquando fuerit in somno pl
 ne & constans ratio vel libertas, uti aliqui di
 cunt de Salomone & B. Virginæ, hæc sunt facti
 per extraordinarium concursum Dsi & per spe
 ciales dispositiones in sensibus & organis à Deo
 causatas.

DUBIUM II.

*An & quando desideria & delectationes sint
 peccata.*

» **P**ER desiderium intelligitur voluntas, inten
 » tio, vel propositum efficax rei malæ: pro
 » delectationem verò, simplex amor & comple
 » centis objecti cogitati, fruendo ejus dulcedine
 » absque desiderio executionis: soletque dici mo
 » rosa, non à mora temporis, cum momento
 » possit perfici; sed quòd voluntas, post plenam
 » advertentiam rationis, ei immoretur.

ARTICULUS I.

Quale peccatum sit desiderium malum.

» **R**Esp I. Desiderium absolutum, sive cogita
 » tio cum voluntate consentiente absolutè
 in